

F. X. L. Zittau.

1681.


Ye
5000

L. D. B. V.
UT

X 2044 A 88

REDDITAM TERRIS NOSTRIS
MUSICAM,
POTENTISSIMO
ELECTORI,
INCLYTIS
PROVINCIIS,
OPTIMÆ
ZITTAVIÆ,
AC IN EADEM
VOCATO NUPER AD REGIMENTUM,
NOBILISSIMO
CONSULI,
VARIIS OMNIBUS FAUSTAM
AC LÆTIFICAM,
IN GYMNASIO ZITTAVIENSI
PRÆDICARI AUDIANT,
AD D. II. OCTOBR. M DC LXXXI.
OMNES
LITERARUM PATRONOS
ET FAUTORES
DECENTER INVITAT
CHRISTIANUS Beise / G. R.

ZITTAVIÆ,
TYPIS MICHAELIS HARTMANNI



Musicæ mutationem Reip. semper esse noxi-
am, post Socratem sive Platonem, è Græcis
multi statuerunt. Ut enim tum erat Gentili-
um in libertate natarum conditio, per sväsi-
one magis trahebantur, qvam vi & imperio: Maxima
verò persuadendi potestas in cantilenis semel rece-
ptis latere videbatur, ut, qvamdiu valeret modus se-
veriof, qvalis observabatur in hymnis ad honestatem
compositis, tamdiu virtutum quoq; decus floreret
& æstimatio; cum ex adverso, qvi prolaberentur ad
modum canendi molliorem, vitia simul & delicia-
rum cupiditatem tacite velut attraherent. Agnovit
hoc senioribus seculis Turcarum Imperator Solyman-
nus, qvi cum An. 1521. à Francisco Galliae Rege Or-
ganum pneumaticum, rari tum artificii opus, dono
accepisset, missis simul Musicis, qvi usum fistularum
modulando monstrarent; Turcas verò suos ad so-
num tubis & corneis cicutis planè dissimilem obstu-
puisse deprehenderet; arrepto baculo cuncta sic tur-
bavit, ut appareret ingratum ei munus contigisse. Cur
enim, inquit, ad mollitem patiar inclinare homines,
militiae militaribusque instrumentis adsuetfaciendos?

Ita nimirum judicabant Viri, sive ob innatam
barbariem, sive ob libertatis ferociam debiles, ut ne
sonum exaudire quidem possent, nisi huic animum
servitio velut mancipatum simul submitterent. Nos
certe qvos & Orthodoxæ Religionis notitia, & lite-
rarum melior tractatio molliores ac sedatores effe-
cit, nullo damno perculit introducta diversis tem-
poribus Musicæ varietas. Sive enim à Chorali mo-
dulamine, ad Figuralem, qvem vocant, procedere-
tur; sive humanis vocibus ssvaviter interstreperent
Instrumenta; sive à Motetis ad Madrigalia, ab his
ad

ad hymnos concertantes fieret progressus; tantum
abest, ut aliquod Pietati bonisq; moribus immineret
periculum, ut potius, clarissimi passim Viri, penes
Magistratum constituti, non probarent modo lauti-
ores Artificum inventiones, sed etiam ostensis pas-
sim sumptibus laudabilem hanc industriam subinde
redderent promptiorem.

Utinam aliis mutationibus obnoxia non esset
Musica, postquam in communi Provinciæ luctu,
qvem Principum benè meritorum sive luctus sive o-
bitus injungit, Organa simul & Instrumenta Mu-
sicorum tacendi legem acceperunt. Si enim ex habi-
tu Principis subditorum fortuna dependet aut co-
gnoscitur; felicem hunc nuncium nemo dixerit, qvi
Iugubri epistola cantus injungit depressores ac mo-
destiores. Neq; crediderim Cives officii memores
tamdiu delectari posse harmoniis lætioribus, qvam-
diu doloris sensum testatur publicæ lætitiae Arbiter.
Non opus est aliunde petere exemplum. Nostra Pa-
tria, Nostra Saxonie per anni spatiū Musicam un-
diquaque silentem experta, Patriæ Patrem in tumu-
lo, Provincias in contagionis periculo, Potentissi-
mum Successorem extra Sedem Ordinariam adspe-
xit, ut qvi cum Israëlitis in captivitate gementibus,
Organa nollet suspendere ad salices, nemo esset, ne-
mo deprehenderetur. Nunc versis ad meliora fatis,
luctum absolvit Christiana Pietas, timorem corrigit
divinæ benignitatis fiducia, Musicam penitus exhi-
larat Serenissimi ELECTORIS ad DRESDAM
suam regressus. Et sunt vero hujus mutationis o-
mina felicissima, qvibus excitatur spes, fore, ut dul-
ciorem canendi causam, sub novo hoc Imperio sem-
per conseqvamur.

At nostra cum primis ZITTAVIA geminis nunc
vicibus tali casu admonita, votivas aliorum meretur
acclamations. Anno enim M DC LVII. cum ab
annuo suo Regimine discederet Senior GIRSIUS,
primus in Templum ingressus Organorum & Tibia-
rum

P.

rum strepitu signabatur, postquam **JOHANNEM**
GEORGIUM I. Terris erectum doluissemus.
Nunc ubi ad Regendi haic provinciam denuo vo-
catur Filius **GIR. ISIUS**, post ipsa solennitatis initia, is
acceptam à superioribus Auctoritatem Musicis indul-
get, ut redire tuto ad intermissa sua negotia queant.
Cum itaq; recepta Gymnasii nostri Confuetudo, No-
vum subinde **CONSULEM** novis Gratulationibus
honorari cupiat; quid vocari poterat in ominandi
argumentum, nisi hæc ipsa, quam publicè privatim
que recepimus, Musica? Qvod igitur faustum &
omnibus bonis acceptum esse jubeat Musicæ Crea-
tor, quem ex Harmoniâ consistere, multi credide-
runt; procedent in Theatrum Scholasticum Orato-
riæ ac bonarum Literarum Studioſi, suæq; diligen-
tiæ specimina **ELECTORI, PROVINCIIS,**
ZITTAVIÆ, & in eadem NOBILISSIMO Consuli testa-
buntur. Qvos ut singuli, quā confieverunt hactenus,
benignitate audire dignentur, etiam à me rogantur at-
que etiam. Et efficiet verò Deus, ne ingrat morian-
tur omnes, si meritis exæqvare favorem non licet.
Ordo Exercitii, sive probari debet absentibus, sive
magis allicere cognitio prævia potest præsentes, ita
se habet.

SIGISMUNDUS ROTHE, SAGAN. SIL.

Oratiunculam præparatoriam Heroico Carmine
complexus, gaudebit rediisse **MUSICAM**.

JOHANNES CHRISTIANUS SCHEDE,
DRES. MISN.

Soluta Oratione, ad Potentissimum **PATRIÆ**
PATREM directâ, Musicam capiet in omen Fe-
licitatis, & ex ea colliget futuri temporis **POTEN-
TIAM, OPULENTIAM, FELICISSIMAM**
CONSTANTIAM: siquidem Cantu in movendis
animis nihil potentius est; Melodiis vario flexu for-
matis nihil opulentius; Hymnis ad divinam gloriam
effusis nihil felicius, nihil constantius.

JO-

**JOHANNES CHRISTOPHORUS BERGAU,
FORSTA-LUSAT.**

Carmine Choriambico his ominibus applaudet.
MELCHIOR HENRICUS SCHEDÉ,
DRESD. MISN.

Benè ominabitur Inclytis PROVINCIIS, qvibus
Musica signum exhibitura est PACIS, CONCOR-
DIÆ, OBEDIENTIÆ, vel ut singula liceat in unum
conjugere, PRUDENTIÆ. Aut enim qvis Har-
moniæ naturam non intelligit, aut sine interprete,
qvomodo valeat applicatio percepturus est.

JOHANNES MICHAEL SCHOLTZE,
ZITT. LUSAT.

Sub junget Gratulationem Odâ Sapphicâ ex-
pressam.

CHRISTIANUS FRIDERICUS BEHNES,
ZITT. LUSAT.

Facto ad Optimam nostram ZITTAVIAM
accessu, Musicam dicet signum SANITATIS (ea
enim Temperamenti Harmonia est) AMOENI-
TATIS (qvam ipsa sonorum sfavitas commendat)
VOTIVÆ GRATULATIONIS (qvæ voven-
tis & recipientis consensum sive concentum exhi-
bet) Inde ad Nobilissimum GIRISIUM conversus,
non annuam modo, sed futuris annis feliciter redi-
turam prosperitatem apprecabitur.

GOTTLOB KLINGER, ZITT. LUSAT.

Vota hæc Elegiaco Carmine extendet ad singu-
gulos, Qvorum Confessu Patrum Conscriptorum
Ordo constat.

Ita officium suum exsolvere conabitur Pietas.
Pietati eventum largiatur divina Providentia!

Sed addere simul decet cantilenas, qvæ tum in-
telliguntur felicius, cum canentis vocem, seqvuntur
legentis oculi.

Oda

Initium faciet Oda Latina , Italicis Licentiis h. e.
Musicis & Poëticis in ELECTORALE SYMBO-
LUM directa:

TEXTUS.

JEHOVA VEXILLUM MEUM.

1. CANTUS.

Spirate furores ,
Pugnate dolores ,
Ciete tumultum :
En effero vultum ;
Si svave Sigillum
Ostenderit se,
Qvod Jova vexillum
Defenderit me.

2. ALTUS.

Curram us ad arma
Dum Jova sit parma:
Sit hasta , sit velum ,
Ne lugubre telum
Ad pectus agatur
Et obruat me ;
Sed ille prematur ,
Qui jaqtat se.

3. BASSUS.

Qvid arma, qvid furores ?
Quid hostes qvid dolores ?
Pax alma fert sigillum ,
Qvod nunc felicitas
Pax & tranquillitas
Ad me respexerit ,
Donec protexerit
Me Numinis vexillum.

4. CHORUS.

Sic vincimus ante labores
Dant prælia nulla calores
Qviescimus undiq; læti
Prædis spoliisq; repleti.
o VIVAT ELECTOR !
Quem Jova Protector
Ceu grande vexillum
Benigne secundet ,
Ut arva per illum
Fons mellis inundet.



Fi-

II.

Finitis Cantionibus repeti meretur Oda, nuperæ
Solennitati, cum in Templo sis teretur Novus Con-
sul, consecrata.

I.

So blüht der Rath-Stuhl noch
So kommen alle Glieder
In schöner Ordnung wieder /
Weil kein betrübtes Sterben /
Kein Schrecken und Verderben
Die Straßen hat verstöret :
So sind wir unversehret /
So blüht der Rath-Stuhl noch.

Ach freue dich S.S.B.B.D.W. hier lebet das Zeichen
Das ferner dein Glücke befestigen wil /
Ze länger die Väter das Leben erreichen /
Ze schöner beklebet das Himmelsche Ziel.
Ach kommt entgegen
Nach eurem Vermögen /
Und tragt die Seufzer mit Singen herbei:
Dass künftig die Freude noch kostlicher sey.

2.

GOTT hat es nur gethan /
So bald sich das Gebete
Vor Länder und vor Städte
Nach seinem Throne schwinget /
So wächst und gelingt
Die Kraft in klugen Rathen /
Die Frucht in guten Thaten /
GOTT hat es mir gethan.
Doch freue dich S.S.B.B.D.W. der Himmel erhöret
Was mancher den Obern zu gute verlangt ;
Wer Gottes Bedienten das Herz verehret /
Hat endlich im fröhlichen Segen geprangt.
Ach kommt entgegen R.

Sie

Mye 5000

3.

Sie habens auch verdient.
Gedenket nur die Sachen
Warum Sie treulich wachen;
Gedenkt die schweren Fälle/
Die man bei dieser Stelle
Fast täglich muß verrichten/
Gedenket was Sie schlichten/
Sie habens vol verdient.

Ach freue dich S. G. E. D. A. W. daß solche Gemüther
Noch ferner in hiesigen Grenzen entstehn;
Erwünsche denselben gesegnete Güter/
Die manchen zu Troste gar langsam vergehn.
Ach kommt entgegen R.

4.

Wott fröhne dieses Jahr/
Daz wir im Friede thauen
Nach abgelegten Trauren/
Daz neben unsern Singen
Auch Sagent-Spiele klingen/
So wird das Wohlgesallen
Aus diesen Worten schallen:
Wott fröhne dieses Jahr.

Ach freue dich S. G. E. D. A. W. / die friedlichen Zeichen
Die brechen aus deinem Gedeyen hervor:
Die Sächsische Gnade wird solches erreichen/
Sie schwinget sich gleichfalls in Lausniz empor.
Drum kommt entgegen R.



1017

J. J. L. Zittau.

1681.

Ye
5000

L. D. B. V.
UT

X 2044 A 88

REDDITAM TERRIS NOSTRIS
MUSICAM,
POTENTISSIMO
ELECT
INCLYTIS
PROVIN OPTIMÆ
ZITTAV
AC IN EADEM
VOCATO NUPER AD RE
NOBITISSIM
CONSU
VARIIS OMNIBUS F
AC LÆTIFICAM,
IN GYMNASIO ZITT
PRÆDICARI AUDIAN
AD D. II. OCTOBR. M DC L
OMNES
LITERARUM PAT
ET FAUTORES
DECENTER INVIT
CHRISTIANUS Beis

ZITTAVIÆ,
TYPIS MICHAELIS HARTMANNI

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

